



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. D. Thomæ Delbene Marvbiensis, Clerici Regvlaris,
Sacrae Theologiae Professoris ... De Immvnitae, Et
Ivrisdictione Ecclesiastica**

Bene, Thomas del

Lugduni, 1674

Capvt XVIII. De bonis Ecclesiasticis non locandis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98676](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98676)

cuiuscumque dignitatis, etiam Episcopalis, vel Cardinalitatis, & etiam si præstiterit per se, vel per alium, privationem, vel publicam. Quinimod in dicta Bulla exprimitur etiam Communitates, & Vniuersitates; quia quamvis Communitas, & Vniuersitas ut sic excommunicari non possit, excommunicari tamen possunt particulares personæ Communitatis, & Vniuersitatis, tractantes, consulentes, vel alia ratione verba facientes, vel etiam insinuantes, vel ob id Oratorem ad Sedem Apostolicam mittendum proponentes. Vide Franciscum Leon. in thesaur. fori, cap. 15. num. 12. & Sopranum apud Filliucium tract. 44. cap. 3. §. 3. 9. 4. & 5.

12 Excipe primò, si quis vnā ex dictis actionibus præstiterit in ordine ad alienationem, vel infeudationem bonorum sisco addictorum propter delicta; quia bona confiscata propter delicta non comprehenduntur amplius in Bulla Pij V. ex Constitutione Gregorij XIII. quæ incipit: *Tanta, tamque horrenda*, §. 13. verb. *declaryantes*, & ex Constitutione Sixti V. quæ incipit:

13 *Hoc nostri Pontificatus*, §. 8. verb. *Duces, ad finem*. Quin neque etiam comprehenduntur per triennium loca, quæ Camera Apostolica emit à Baronibus; quia hæc per triennium excipiuntur à Clemente VIII. in Constitutione 42. quæ incipit: *Iustitia ratio*, §. 14. verb. *Ciuitates vero*.


14 Excipe secundò, si fecerit de licentia Summi Pontificis; quia eius est legem abrogare, cuius est illam condere, idque siue fecerit de licentia Summi Pontificis explicite, siue etiam implicite, ut si v.g. Summum Pontificem adiens de hac re alloquatur, & ab illo non repellatur, quia hoc ipso quod Summus Pontifex illum ad proponendum admittit, & non repellit, censetur cum illo dispensare, & facultatem tractandi concedere. Sic Sopranus apud Filliucium tract. 44. c. 3. §. 4. Secus si repulsiu prosequatur, quia in tali casu, ne dicta excommunicatio inflicta reddatur frustratoria, videtur, quod ex tunc incurratur, nec aliud ad illam incurrendam requiratur.

Ceterum an Summus Pontifex infeudans, aut alia ratione alienans bona Camere Apostolicæ, grauius, & contra iuramentum peccet, patet ex iis, quæ supra dub. 27. & 29. dicebantur.



CAPVT XVIII.

De bonis Ecclesiasticis non locandis.



DVBITATIO I.

An, & quomodo violetur immunitas Ecclesiastica per locationem bonorum Ecclesiasticorum?

SVMMARIVM.

- 1 Immunitas Ecclesiastica violatur per locationem ad longum tempus.
- 2 Locatio ad longum tempus reputatur alienatio, eo quod per ipsam utile dominium transferatur in conductorem.
- 3 Tempus longum spectato iure antiquo reputatur decennium, quia septennium pro modico tempore indicatur.
- 4 Iure antiquo bona Ecclesia locari poterant per nouennium, etsi non ultra.
- 5 Locatio facta ad vitam locantis, vel conducentis inua-

lida est, quia talis locatio ex natura sua durationi longi temporis subest.

6 Item inualida est locatio ad vitam, etiam si verissimiliter puerit vita conductoris non duratura longo tempore, contra nonnullos.

7 Tempus longum inspecta Constitutione Pauli II. reputatur triennium, si res fructificet singulis annis, & sic sub pena excommunicationis ipso facto incurrenda, aliisque grauius pœnis prohibentur ultra triennium locari bona Ecclesia, ubi tamen est vsu recepta.

8 Auctor existimat vbique esse receptam, saltem quoad rem prohibitam, & penam intrinsecam annulationis contractus, si non quoad pœnas extrinsecas excommunicationis, & effectorum priuationis.

RESPONDETUR violari, si quis modo, quo supra cap. 11. dub. 1. dicebam, bona Ecclesiæ locet ad longum tempus, Clement. 1. de rebus Eccles. non alien. & cap. nulli, eodem tit. Et ratio est, quia locatio ad longum tempus reputatur alienatio, eo quod per ipsam utile dominium transferatur in conductorem, ex l. 1. §. quod autem, ff. de superficie ibi: Et sine casu cognita ei, qui non ad modicum tempus conduxit superficiem, in rem actio competit. Sic Couar. lib. var. cap. 16. n. 1. Mol. de iust. tract. 2. disp. 466. verb. de aliis, alter Mol. de primogen. lib. 1. c. 21. n. 18. Vasquez in opus. de redditib. cap. 2. §. 2. n. 21. & 22.

Tempus autem longum hic, spectato iure antiquo, reputatur decennium; quia septennium pro modico tempore iudicatur, cap. vlt. ne Prelati vices suas, & cit. Clement. 1. de rebus Eccles. non alien. & tradunt Gloss. Imola, Ancharan. in Clement. cit. verb. locationes, Abbas in cap. vestra, de locatione, Decius consil. 142. n. 3. Less. de iust. & iur. lib. 2. c. 24. dub. 1. n. 68. Couar. Mol. & Vasquez in locis supra cit. qui propterea docent, quod iure antiquo bona Ecclesiæ alienari poterant per nouennium, etsi non ultra. Quapropter inualida est locatio facta ad vitam locantis, vel conducentis; quia talis locatio ex natura sua durationi longi temporis subiicitur, cit. Clement. & docet Gloss. ibi, verb. eius, & ibidem Ancharanus, Imola, & Alex. consil. 119. lib. 3. & consil. 165. lib. 2. Couar. n. 3. Mol. de primogen. n. 29. & Vasquez n. 23.

An autem valida sit, si verissimiliter putetur longo tempore vita illius non duratura?

Respondetur (quamvis Couar. etsi dubitanter affirmet iuxta considerationem l. hereditatem, ff. ad legem falcidiam) negatiue; quia cum semper contingere possit, vitam illius longo tempore duraturam esse, sit quod saltem sub dubio ad longum tempus extendatur, quod nullo modo licet: quia ponamus, vitam illius decennio durare, certum est, quod in tali casu locatio non valeat, aliàs valeret locatio facta ad longum tempus, contra textum in cit. cap. nulli, & cit. Clement. 1. de rebus Eccles. non alien. At quælibet locatio in casu posito periculum hoc haberet: ergo quælibet talis locatio non valet; quia à principio inualidari debet, cum à principio totum illud tempus comprehendat. Vide Molinam, & Vasquez in locis supra citat.

Ceterum attenta Extrauag. Pauli II. Ambrosio, 7 longum tempus hic (si res fructificet singulis annis, ut cit. cap. 17. dub. 1. dicebam) reputatur triennium, quia expressè ibi sub excommunicatione ipso facto incurrenda, aliisque grauius pœnis prohibentur bona Ecclesiæ ultra triennium locari: quamvis multi Doctores (ut cit. cap. 17. dub. 22. dicebam) putent, dictam Extrauag. in multis locis non esse vsu receptam, præsertim quoad pœnas, censuras, & locationem ultra triennium

triennium : quapropter in opinione illorum attendenda consuetudo locorum erit. At quoniam probabilius puto, quod ubique sit recepta, saltem quoad rem prohibitam, & penam intrinsecam annulationis contractus appositam, si non quoad penas extrinsecas excommunicationis ; & officiorum priuationis, ut recte tradunt Mol. de iust. tract. 2. disp. 466. post medium, Guttier. lib. 1. can. 99. cap. 8. num. 9. Salzed. pract. cap. 71. circa fin. Tolet. lib. 5. c. 91. vers. 3. Quaranta verb. Alienatio, num. 48. Rebellius de obligat. iust. 2. part. lib. 14. quest. 5. Cened. collect. 32. num. 1. & Barbosa de potest. Episcop. 3. part. alleg. 95. num. 49. ubi pro hac sententia refert plures Rotæ Romanæ decisiones. Propterea sit

DVBITATIO II.

An si quis bona Ecclesiæ locet ad sex, vel nouem annos, clausula adiecta, quod sint tot locationes, quot sunt triennia, ita ut transacto primo triennio, pro tunc rem de nouo locet, valida sit locatio ultra triennium, tanquam non pugnans cum Extrauagante *Ambitiose*.

S V M M A R I V M.

- 1 Locatio facta in titulo, licet in sententia Baldi, & aliorum valida sit, tamen secus est in sententia Auctoris.
- 2 Pactum, quo concedens obligatur sequentem successorem aliis præferre, & rem in emphyteusim eidem concedere, est nullum; quia nihil aliud est quam perpetuare emphyteusim per machinationem.
- 3 Conuentio si prædicta presumitur in fraudem legis locationes ultra triennium prohibentis, & consequenter est nulla.
- 4 Exiçe, nisi sit aliter usu receptum, ut Mediolani, ubi bona Ecclesiæ consueverunt locari ad nouennium tripli. i. locationis contractu.
- 5 Dicta de locaione multiplici extendit ad locationem factam ad triennium cum pacto de locaione renouanda, tamen sit inclusum dictum pactum in publica scriptura, secus si priuatum efficiatur.
- 6 Promissio priuata non censetur neque formalis, neque virtualis locatio.
- 7 Promissio etiam de renouando locationem post triennium in scriptura publica redacta in sententia nonnullorum non venit sub prohibitione Extrauagantis.
- 8 Pactum in scriptura publica inclusum in sententia istorum non est locatio, neque alienatio, sed solum obligatio personalis locandi, vel alienandi.
- 9 Beneficiarius in istorum opinione poterit se obligatione personali obligare ad dandam commoditatem percipiendi fructus ad multos annos, vel sua vita durante cui umque uoluerit.
- 10 Beneficiarius poterit liberaliter cedere alteri fructus sui beneficii pro vita sua durante, si per huiusmodi concessionem non transferat ius aliquod ad bona beneficii.
- 11 Item beneficiarius potest gratis cedere distributiones obligatione solum personali, sine obligatione reali, per quam transferat aliquod ius in rem.

Responderetur, quod quamvis Baldus in cap. 1. §. ff. libellario, quibus modis feudum amittit, & in l. volum. Thom. Delbene, de Immunit. Eccles. Pars II.

tas, Cod. de fideicommissis. & alij multi apud Manticanum de ambiguis conuentionibus lib. 5. tit. 5. num. 19. & apud Scortiam in loco infra citando, affirmant ex eo, quia in tali casu dantur plures locationes triennales, & nulla earum est prohibita; negandum sit, illam valere ultra triennium, etsi valeat per triennium, quia per triennium non prohibetur. Atque ita contra Baldum; & alios innominatos supra citatos tenent communiter Doctores, quos citat, & sequitur Couar. lib. 2. var. cap. 16. num. 4. Azor. 2. part. lib. 9. cap. 2. q. 2. §. 3. Rebell. de obligat. iust. lib. 1. quest. 6. Rodriguez 99. Regula quest. 7. art. 1. Mol. de iust. disp. 466. ad fin. Valquez de redditib. cap. 3. §. 2. num. 25. Tulehus rom. 5. conclus. 406. Carocius de locatio, 3. part. §. de rebus Eccles. locantibus, con. l. 5. 6. & 9. Riccius decis. 117. & 121. Less. lib. 2. cap. 24. dub. 11. num. 68. Scortia ibidem. 117. Sa verb. Conductio, num. 13. Sopranus apud Fillucium tract. 44. cap. 2. quest. 5. Valascus de iure emphyteus. quest. 29. num. 15. Lezana in summ. part. 1. cap. 10. num. 4. Barbosa de potest. Episcop. 3. part. alleg. 95. num. 17. & alij apud Genuesem loc. cit. num. 10. & 15. asserentes, hoc in Rotâ haberi pro indubitato: & probatur ex textu in authent. de non alienand. §. quod autem, qui loquens de emphyteusi, quæ ad vitam accipientis, & duas alias concedi poterat, dicit, nullum esse pactum, quo concedens obligatur sequentem successorem aliis præferre, & rem in emphyteusim eidem concedere; quia hoc nihil aliud est (inquit textus) quam per reuolutionem, & machinationem perpetuari eius emphyteusim; quod in nostro casu a fortiori, locum habet; quia per illam machinationem multiplicata locationis res Ecclesiæ ad longum tempus locatur, quod in Extrauag. Ambitiose prohibetur, & ex alio capite parum interest Ecclesiæ, quæ solum intendit, rem suam ultra triennium non locari, quod unica locatione, vel pluribus locationibus id fiat; quod certe efficitur, licet diuersis locationibus efficiatur. Adde, quod talis conuentio præsumitur in fraudem legis, locationem ultra triennium prohibentis, & consequenter debet esse nulla, sicut & nulla est omnis alia conuentio in fraudem legis facta. Exiçe, nisi sit aliter usu receptum, ut Mediolani, ubi bona Ecclesiæ consueverunt locari ad nouennium triplici locationis contractu. Vide Bonacinam punct. 2. num. 24. & quæ dicebantur c. p. præ ed. dub. 4. & 22.

Ceterum, quod dixi de locaione multiplici, idem dicas de locaione facta ad triennium, cum pacto in scriptura publica, etiam distincta inclusio; de locaione transacto triennio renouanda; quia tunc virtualiter ultra triennium res Ecclesiæ locatur; & quod fit, in fraudem legis fieri videtur, etiam si fiat duabus distinctis publicis scripturis; secus si tale pactum in scriptura publica non includatur, sed priuatim efficiatur; quia priuata promissio non censetur, neque formalis, neque virtualis locatio; & sic ex vi illius nullo pacto dicetur ultra triennium locare, sed solum priuatim se locatorum promittere. Sic Baldus in l. vlt. ff. ad legem fideiudicium. Azor. 2. part. lib. 7. cap. 10. quest. 6. & lib. 9. cap. 2. quest. 3. Scortia in selectis consil. epit. 43. theorem. 115.

Quamvis contrarium quoad priorem partem dicti sentiant probabiliter Mol. disp. 366. & 466. num. 1. ubi citat alterum Molinam: Riccius decis. 71. ubi citat Crauetam, & alios: Quaranta num. 18. ubi citat Rebuffum: Guttier. lib. 2. canonic. cap. 13. & Sopranus apud Fillucium tract. 44. cap. 2. §. 1. quest. 8. & §. 3. q. 3. n. 29. & c. 4. q. 2. ex eo, quia pactum etiam in scriptura publica inclusum de locando, non est locatio, neque alienatio, sed solum obligatio personalis locandi, vel alienandi, sicut promissio matrimonij non est matrimonium.

Quapropter in istorum opinione poterit beneficiarius

rius obligare se obligatione personali ad dandam commoditatem percipiendi fructus ad multos annos, vel sua vita durante, cuicumque voluerit; quia per huiusmodi obligationem rem Ecclesiæ non alienat, cum nullum ius in eam conferat alteri, sed solum ad eius fructus præstandos personaliter obligatur. Item secundo poterit beneficiarius liberaliter cedere alteri fructus sui beneficii pro vita sua durante, si per huiusmodi cessionem non transferat ius aliquod ad bona beneficii, sed solum obligetur personaliter ad dandum alteri, quod ex suo beneficio perceperit. Item tertio, poterit gratis cedere distributiones obligatione solum personali, sine obligatione reali, per quam transferatur aliquod ius in rem, vel ad rem, ut si scilicet se obliget solum ad cedendum, seu tradendum alteri fructus, vel distributiones, quæ ad ipsum de iure spectant: in quo sensu intelligendi sunt Doctores, qui docent, distributiones posse alienari. Vide præter Doctores supra citatos, etiam Nauarrum de alienat. n. 1.

DUBITATIO III.

An si quis, facta locatione pro triennio, ante illud finitum locationem renouet, valida sit contractus renouatio?

SUMMARY.

- 1 Renouans locationem factam pro triennio post secundum annum, valide facit, quia tunc non præsumitur ex fraude procedere.
- 2 Renouatio facta ante secundum annum caput, & cum eadem persona, licet pensio varietur, est inualida, quia tunc præsumitur fraus, & verum est dicere rem Ecclesiæ vni esse locatam ad quinquennium.
- 3 Pensionis variatio non tollit integrè fraudis præsumptionem.

Responderetur distinguendo: si renouet post secundum annum, valida est contractus renouatio; quia tunc is non præsumitur ex fraude procedere, neque primum contractum continuare, sed nouum inire, & rem de nouo locare: censetur enim antiquus finitus, cum parum pro nihilo reputetur. At si renouet ante cœptum secundum annum, & cum eadem persona, inualida est, tametsi pensio varietur; quia tunc præsumitur fraus, & quia tunc verum est dicere, rem Ecclesiæ vni esse locatam ad quinquennium, contra textum in Extrauaganti Ambrosiæ. Sic Molina cit. disp. 466. circa finem, & consentit Valascus de emphyt. q. 29. n. 15. in casu, quo non varietur pensio; quamvis secus si varietur, sed minus rectè, quia pensionis variatio non tollit integrè fraudis præsumptionem, neque impedit, quod minus dicatur, rem vltra triennium eidem esse locatam.

DUBITATIO IV.

An quis Ecclesiæ rem, quæ binis, vel ternis annis solet fructificare, valide vltra triennium locet?

SUMMARY.

- 1 Valida est locatio de re, quæ binis, vel ternis annis solet fructificare, ita ut si fructificet annis alternis, possit

illam locare per sexennium, si annis ternis per nouennium, & sic deinceps.

- 2 Trina fructuum collectio est quæ conductorem inuitare potest ad rem Ecclesiasticam conducendam.
- 3 Emphyteuta non cadit in commissum, si triennio non soluit pensionem annexam rei, quæ tantum triennio, vel biennio fructificat.
- 4 Singula triennia æquivalent singulis annis in casu, quo res fructificat ternis annis.

Responderetur affirmatiue, ita ut si fructificet annis alternis, possit illam locare per sexennium; si fructificet annis ternis, possit locare per nouennium, & sic deinceps, &c. Ita dicebam cap. præcedenti, dub. 1. & tradit ex communi Barbatia in rubr. de rebus Eccles. non alien. n. 52. Less. lib. 2. cap. 24. dub. 11. n. 69. Scortia theor. 115. Nauar. in comm. de alien. rer. Eccles. n. 21. & 22. Azor. 2. part. lib. 8. §. de locato, cap. 2. Sà verb. conductio, n. 14. Soprani ad Fillucium tr. 44. cap. 1. q. 3. Guttier. lib. 1. can. cap. 8. num. 12. Couar. 1. 2. ar. cap. 16. n. 9. Quaranta verb. alienatio rerum Eccles. n. 18. Vasquez in opusc. de redditib. cap. 2. §. 2. dub. 6. num. 30. Rebell. de obligat. inst. lib. 1. q. 5. Riccius decis. 115. & Barbof. de potest. Episc. op. 3. p. alleg. 65. num. 4. Et probatur, quia Pontifex in dicta constitutione non tam videtur intendisse triennium temporis, quàm triennium fructuum, cum trina fructuum collectio sit, quæ conductorem inuitare potest ad rem Ecclesiasticam conducendam, ut sic sterilitas vnius anni (si forte contingat) aliorum annorum vbertate compensetur, aliàs paucos conductores res Ecclesiæ inuenire possent. Confirmatur, quia emphyteuta non cadit in commissum, si triennio non soluit pensionem annexam rei, quæ tantum triennio, vel biennio fructificat, teste Baldo l. ad. Cod. locati, Alexandr. in l. diuortio, §. 1. ff. soluto matrim. Iason. ibid. & l. 2. C. de iur. emphyt. & Couar. & Azor. locis supra cit. Confirmatur secundo, quia in casu, quo res fructificat alternis, vel ternis annis, meritò singula biennia, vel triennia æquivalent singulis annis.

DUBITATIO V.

An si quis Ecclesiæ rem, quæ singulis annis fructificat, vltra triennium locet, valida sit locatio, saltem circa triennium, & an sit inualida qua parte excedit triennium?

SECTIO I.

Dubitationis Resolutio.

SUMMARY.

- 1 Locatio modo supradicto est inualida, etiam citra triennium, & simpliciter, & in totum vitatur, nisi fortè contrahentes tacitè consentirent in triennium, tacitè enim esset duplex contractus, quia consentirent in sexennium.
- 2 Verbum (cadat) intelligendum est quod cadat à iure quod obtinere poterat, quia si nullus esset contractus, etiam pro tempore à lege permissus, non diceretur, ab eo cadat.
- 3 Dictio illa (omnino) indistinctè prolata, omnes annos videtur comprehendere.

4 Per

- 4 Per alienationem ultra formam praescriptam factam recipienti ius aliquod non acquiritur.
- 5 Negativa, quoties adiungitur cum dictione (aliquid) etiam in qualibet minima parte verificatur.
- 6 Contractus cum pendet à voluntate duorum, si non valet, ut fit, neque valet, ut fieri poterat.
- 7 Electio Consiliarij ad triennium facta, neque valet ad annum, si statutum sit quod ultra annum fieri non possit.
- 8 Leges generaliter loquentes non censentur improbare quod aliis legibus est permixtum.
- 9 Textus dicentes nullam esse locationem, intelligi debent non de triennali, qua permixta est à lege, sed respectu temporis è lege reprobati.
- 10 Clementina 1. de non alienando loquitur non de locatione, sed de vera alienatione, qua in totum est nulla.
- 11 Verbum illud (cadat) relatum ex authent. de non alien. significat emphyteutam cadere ab emphyteusi tempore utili possessa.
- 12 Nemo dicitur cadere ab eo, quod non habet, nec potest habere.
- 13 Doctrina Bartoli citata intelligi debet quod locatio illa valeat de facto quoad tempus à lege permixtum; secus quoad tempus à lege reprobatum.

Respondetur inualidam esse, etiam citra triennium, & sic simpliciter, & in totum vitari, nisi tamen contrahentes tacite consentirent in triennium, ita ut tacite sit duplex contractus, nempe consentirent in sexennium verbi gratia, etsi hic contractus non valeret triennium. Sic docent Bartol. in *Authent. qui rem de sacrosanctis Eccles.* num. 7. *Iaf. ibid.* num. 21. Bartholomaeus Socinus, Abbas, Felinus, Cardinalis, & alij, quos sequitur Couar. 2. var. cap. 16. num. 5. Azor. 2. part. lib. 7. cap. 10. q. 4. & lib. 9. cap. 2. q. 4. Mantica de iur. & ambig. convent. tom. 1. lib. 5. tit. 5. in princip. Valascus de iure emphyt. q. 29. num. 15. Gratian. discept. forens. cap. 162. num. 22. Vasquez in opuscul. de redditibus, cap. 2. §. 2. num. 28. & 29. Sopranius apud Filiucium tract. 44. cap. 2. q. 5. Genuensis in praxi, cap. 60. Bonacina disp. 3. de contractibus feud. q. 8. punct. 4. num. 32. Cald. Pereira de resol. emphyt. cap. 2. num. 30. Riccius de iur. §. 117. & 121. Carocius de locatio 3. part. §. de rebus Eccles. locandis, concl. 5. 6. & 9. Less. de iur. & iur. lib. 2. cap. 24. dub. 11. num. 68. Scortia theorema. 117. Sà verb. Conductio, num. 13. & decreuit Rota, sicut refert Farinacius tom. 1. part. 1. decis. 36. contra Baldum in *Authent. si quas ruinas*, Cod. de sacros. Eccles. Paulum de Castro in *Authent. qui rem*, Cod. de sacros. Eccles. Imolan in cap. ex parte, de feudis: Alexandrum consil. 38. lib. 2. Decium in cit. authent. qui rem, Tiraquellum lib. 2. de retract. p. ult. num. 144. Molinam de iur. tract. 2. disp. 467. alterum Molinam de primog. lib. 1. cap. 21. num. 28. Tuschum verb. locatio, concl. 406. in princ. Rebellum de obligat. iur. 2. part. lib. 14. q. 6. Gamma de iur. §. 390. num. 3. Quaranta n. 18. Barbosa de potest. Episc. 3. part. allegat. 95. n. 15. & alios innominatos apud Mantica loco supra cit. n. 19. apud Scortiam cit. theorema. 117.

Probatur non ex eo (ut probant aliqui) quia in authent. de non alien. §. emphyteusim, prohibetur dari emphyteusim ultra tres vias, & subditur: Aliter dari nullo modo permittimus, neque sic habere aliquod robur finimus. Et in §. si verò in perpetuum, dicitur: Si verò in perpetuum quispiam emphyteusim accipere presumpserit, quod non licet, temporalem quidem, non tamen secundum huius nostrae legis observationem, etiam cadat quidem de emphyteusi, & quod datum est, maneat apud Ecclesiam.

Quapropter si dicitur, cadat, intelligendum esse videtur, quod cadat à iure, quod verò obtinere poterat, quia si nullus esset contractus, etiam pro tempore

à lege permixtus, non diceretur, ab illo cadat. Item neque ex eo, quod in Extrauag. Ambitiosa, dicitur, quod si locatio, vel alienatio fiat aliter, ac ibi praescribitur, nullius omnino sit roboris, ac momenti, & ex alio capite, dictio illa, omnino, indistincte prolata, omnes annos videatur comprehendere. Item neque ex eo quod in Clem. 1. de rebus Eccles. non alien. dicitur, quod alienatione ultra formam praescriptam facta, recipienti ius aliquod non acquiritur; & ex alio capite 4 quoties negativa adiungitur cum dictione aliquod, etiam in qualibet minima parte verificetur, ut tradit 5 Gloss. Clement. 1. de foro compet. Abb. & alij, quos refert Couar. loco supra cit. & Tiraquellus in l. si unquam, verb. omnia, num. 1. & 14. Item neque ex eo, quia (ut docet Bart. in l. 1. §. si quis ita, ff. de verb. obligat. communiter receptus) cum contractus pendet à voluntate duorum, si non valet ut fit, neque valeat ut fieri poterat, & quia (ut docet Romanus consil. 66.) electio Consiliarij ad triennium facta, neque 7 valeat ad annum, si statutum sit, quod ultra annum fieri non possit.

Responderi enim potest, rationes, & auctoritates istas intelligi non de toto tempore, etiam à iure permixto, sed solum de tempore inutili, quia leges generaliter loquentes non censentur improbare quod 9 aliis legibus est permixtum, l. sciendum, ff. qui satisfacere cogantur, & l. decurionibus, Cod. de silentariis, lib. 12. Quapropter cum locatio triennalis permixta sit à lege, & reprobata ea, quae diuturnior est, dici potest, quod textus dicentes, nullam esse talem locationem, intelligentur respectu temporis à lege reprobati, non item respectu temporis à lege permixti: & sic explicari potest Authent. de non alien. & Extrauag. Ambitiosa, & Clement. 1. eod. tit. praeterquam quod Clement. 1. 10 loquitur non de locatione, sed de vera alienatione, quae certum est, quod in totum sit nulla, cum forma 11 praescripta non seruetur. Verbum autem illud Cadat, relatum ex Authent. de non alien. significat emphyteu- 12 tam cadere ab emphyteusi tempore utili possessa, quod inde probatur, quia nemo dicitur cadere ab eo, quod non habet, nec potest habere, & sic si ex vi illius contractus emphyteuta neque habuit, neque potuit habere in aliquo tempore emphyteusim, sequitur dici non posse, quod ab illa cadat: ergo si cadit, signum est, quod emphyteusim fuerit ipsi debita pro aliquo tempore, scilicet tempore à iure permixto, quo trans- 2 acto ab emphyteusi cadit. Accedit, quod ibi per modum poenae emphyteuta priuatur emphyteusi, & consequenter signum est, quod ex vi iuris obtinebat emphyteusim tempore à lege permixto.

Ad illud, quod dicitur ex doctrina Bartoli communiter recepta, responderi potest, quod locatio illa valeat de facto quoad tempus à lege permixtum, tamen non valeat quoad tempus vltimum à lege reprobatum, & sic quod de facto valeat actus quoad partem, eo modo quo fit. Fauet tamen aliquantulum doctrina Bartoli, & multo magis doctrina Romani responsioni nostrae.

Sed probatur ex eo, quia ex vi contractus contrahentes non consentiunt, nisi in locationem, & conductionem multorum annorum: non enim conductio triennalis est ita commoda, sicut sexennalis verbi gratia, vel nouennalis; quin potest illa esse damnosa: quapropter qui pro tempore diuturno conducit, minoris conducit, quasi pro brevi tempore conducere. At quoties contrahentes non celebrarent contractum eodem modo, tempore permixto, ac celebrant, cum extra tempus permixtum contrahunt, de facit consensus in contrahendo, & sic nequit fieri separatio eius temporis, quod est lege permixtum, ab eo, quod lege prohibetur: quapropter non mirum, si inualidus sit contractus quoad totum tempus.

Quamvis si ipsi contrahentes tacite consentirent in triennium, tunc ex hac parte valeret contractus, quia tunc implicite esset duplex contractus, nempe in sexennium, vel nouennium, & si hic non valeret, in triennium.

SECTIO II.

Difficultates, earumque solutiones.

SUMMARIVM.

- 1 *Vtile per inutile non vitatur quando sunt separabilia.*
- 2 *Donatio sine insinuatione facta ultra quingentos aureos, licet sit unica donatio, solum in excessu vitatur, & firma remanet quoad quingentos aureos à iure sine insinuatione donari permittos.*
- 3 *Donans supra quingentos aureos voluntatem habet donandi quod est permittum, non sic locans ultra triennium.*
- 4 *Emphyteusis concessa ad tres generationes, valida est quoad tertiam permittam, inualida quoad reliquas.*
- 5 *Data emphyteusi alicui, eiusque duobus successoribus, cum pacto, quod illis deficientibus tertius obtenturus sit in emphyteusim, & omnibus aliis preferendus, deciditur Dominum emphyteusis obligatum non esse, duobus hæredibus cessantibus ceteris tradere.*
- 6 *Pactum additum emphyteusi reprobatur, at emphyteusis vitium non habet.*
- 7 *Quod in una parte vitatum est, in totum vitatur.*

Obiicies, *utile per inutile non vitatur, ex regul. vitale, de regulis iuris in 6. & l. 1. §. sed si mihi, ff. de verb. obligat.* Ergo.

Respondetur, *utile per inutile non vitatur*, quando sunt separabilia, concedo; quando non sunt separabilia, nego. At in casu nostro non sunt separabilia, quia locans non eodem pretio locaret ad breue tempus, ac locaret ad longum.

Obiicies secundo, *donatio sine insinuatione facta ultra quingentos aureos, tametsi unica sit donatio, solum in excessu vitatur, & firma remanet quoad quingentos aureos à iure sine insinuatione donari permittos, l. sancimus, in prin. ip. vers. si quid autem, Cod. de donation. & docent Mol. disput. 278. & 467. Clar. §. donatio, quest. 17. num. 2. Riccius resol. 102. n. 2. Rebellus de obligation. inst. 2. part. lib. 18. q. 6. num. 6. & Zevallos com. contr. com. q. 222. num. 3.* Ergo sic, &c. in casu nostro.

Respondetur, concedo antecedens: at nego consequentiam, & disparitas est, quia donans supra quingentos aureos, & sic plus, quam sibi permittitur, voluntatem habet donandi, quod est sibi permittum: non sic in casu nostro, nisi contrahentes tacite consentirent in triennium, vti dicebam.

Obiicies tertio, *emphyteusis concessa ad tres generationes valida est quoad tertiam permittam, inualida quoad reliquas, auth. de non alien. §. quod autem, collat. 2. vbi data emphyteusi alicui, eiusque duobus*

successoribus, cum pacto quod illis deficientibus tertius successor obtenturus sit emphyteusim, & omnibus aliis preferendus, deciditur dominum emphyteusis obligatum non esse, duobus hæredibus cessantibus, ceteris tradere: & sic tacite declaratur, traditionem emphyteusis primis hæredibus valere,

extensionem tamen à lege improbatam non valere: ergo, &c.

Respondetur *in cit. Auth.* solum reprobari pactum additum emphyteusi, non autem emphyteusim vitium habere, quia solum ad tres vitas se extendit: at locatio in casu nostro non solum se extendit ad triennium, sed etiam ad plures annos, & consequenter in una parte vitata in totum vitatur. Quod si vigeas, illud pactum, cum simul effectum sit cum emphyteusis contractu, virtute, & in effectum emphyteusim ultra tres vitas extendit, eaque de causa annullatur, & tamen non obstante hac extensione, firma remanet emphyteusis quoad tres vitas: ergo similiter locatio rei Ecclesie pro pluribus annis facta firma debet manere pro triennio. Respondetur, esse ibi virtute duplicem contractum, iuxta ea quæ supra dicebamus.

DVBITATIO VI.

An si quis Ecclesie rem, quæ singulis annis fructificat, ultra triennium locet cum iuramento de non contrahendo, firmetur locatio iuramento, ita ut ipsi non liceat ab ea recedere?

SUMMARIVM.

- 1 *Iuramentum non obligat ad peccatum, neque est vinculum iniquitatis, nec firmat locationem de re singulis annis fructifera, ultra triennium.*
- 2 *Extravagans Ambrosio prohibet huiusmodi locationem sub peccato mortali, & excommunicatione, quæ supponit peccatum mortale.*
- 3 *Pœna debet esse commensurata culpæ.*
- 4 *Excommunicatio maior gravis pœna est, gladius spiritualis, ac neruus Ecclesiastica disciplina.*

Respondetur ex probabiliori sententia Doctorum ¹ negativè, quia iuramentum non obligat ad peccatum, neque est vinculum iniquitatis: ergo non firmat prædictam locationem. Antecedens patet. Consequentia probatur, quia Extravagans Ambrosio, prohibet huiusmodi locationem sub peccato mortali, ut ² ex communi tradit Caiet. in sum. verb. Precepti transgressio, §. pœna preceptorum. Paludan. in 4. dist. 17. art. 2. Nauar. cap. 27. num. 9. Gabr. in 4. distinct. 18. quest. 2. coroll. 2. Sor. dist. 22. quest. 1. art. 2. concl. 1. Couar. cap. alma, part. 1. §. 9. Auila de censur. part. 2. cap. 5. disp. 1. dub. 2. & sumitur ex cap. nemo Episcoporum, cap. nullus sacerdotum, 11. quest. 3. & Tridentino sess. 25. cap. 3. ³ de reformat. & probatur ratione, quia pœna debet esse commensurata culpæ, cap. felix, de penis in 6. ⁴ Sed excommunicatio maior gravis pœna est, gladius spiritualis, ac neruus Ecclesiastica disciplina, teste eodem Tridentino cit. cap. 3. ergo grauem, seu mortalem culpam supponit.

DVBITATIO VII.

An valeat mandatum ad locandum ultra triennium?

SUMMARIVM.

- 1 *Constitutio prohibens alienationem rerum Ecclesie ultra triennium, includit etiam mandatum ad eas locandas.*
- 2 *Mandatum*

2. *Mandatum alicui datum locandi res Ecclesie, extenditur tantum ad triennium, quo finito Procurator non potest absque nouo mandato in aliud triennium illas locare.*
3. *Mandatum si detur ad locandas res Ecclesie bis, vel ter, finitur primo triennio elapso.*
4. *Mandatum si Procuratori datum sit ad locandum ultra triennium simultaneè, non valere, secus autem si datum sit ad locandum successiue.*

Responderetur (quamvis aliqui, vt Molina de iust. tract. 2. d. sp. 466. in fin. affirmant, alij autem, vt Couar. 1. var. cap. 16. num. 6. Scortia theor. 115 & Azor. 2. part. lib. 9. cap. 2. quæst. 5. negent ex eo, quod fieret fraus legi, si facultas ad res Ecclesie locandas ultra triennium daretur, & consequenter aiunt, quod Constitutio prohibens alienationem rerum Ecclesie ultra triennium includat etiam mandatum ad eas locandas, & sic quod si detur alicui mandatum, vt locet res Ecclesie, extendatur tantum ad triennium, quo finito procurator non poterit absque noua commissione in aliud triennium illas locare. Item si mandatum detur ad locandum res Ecclesie bis, vel ter, mandatum finitur primo triennio elapso, & (citant Decium consil. 288.) distinguendum sic esse: nempe non valere mandatum, si procuratori datum sit ad locandum ultra triennium simultaneè; valere verò, si datum sit ad locandum ultra triennium successiue; ita vt finita prima locatione per triennium, possit procurator aliam, & aliam locationem eiusdem rei Ecclesiasticæ, prout sibi videbitur, per aliud, & aliud triennium successiue facere: sic enim principalis non dat procuratori facultatem ad locandum rem Ecclesie ultra triennium, sed solum dat facultatem ad locandum per plura triennia successiue: quod non videtur iure prohiberi, quia sicuti principalis rerum Ecclesiasticarum administrator potest res illas pluribus locationibus triennialibus successiuis locare, sic poterit alteri id ipsum, vices suas committendo, concedere. Accedit, durum videri, quod quolibet triennio obligatus is sit mandatum renouare; valebit igitur in tali casu, quoad vsque non fuerit à principali reuocatum.

DVBITATIO VIII.

An possit Prælatus sua Constitutione particulari triennium per Extrauag. *Ambitiosæ*, concessum ad locandum coarctare?

SUMMARIVM.

1. *Prælatus potest coarctare triennium, quia ita potius fauet, quam aduersetur Constitutioni Patelli I.*

Responderetur affirmatiue, quia in cit. Extrauag. locatio triennialis solum permittitur, & diuturnior prohibetur. Quapropter Constitutio Prælati coarctans locandi tempus, v. g. prohibens, ne ultra biennium fiat locatio, supradictæ Extrauaganti potius fauet, quam aduersetur. Sic Doctores, quos citat, & sequitur Barb. de potest. Episcop. 3. part. alleg. 95. numero 18.

DVBITATIO IX.

Ad quam bona Ecclesiastica prohibitio locationis ultra triennium extendatur?

SUMMARIVM.

1. *Prohibitio locationis ultra triennium extenditur ad omnia bona Ecclesiarum, Monasteriorum, & piorum locorum, si Episcopi auctoritate sint erecti.*
2. *Hospitalia, Collegia, Confraternitates, alique pii loci, qui sine Episcopi auctoritate sunt erecti, non gaudent hoc privilegio.*

Responderetur ex communi, extendi ad omnia bona Ecclesiarum, Monasteriorum, & piorum locorum (si Episcopi auctoritate sint erecti) immobilia, & mobilia pretiosa, quæ seruando seruari possunt. Sic dicebam cap. precedenti, dub. 1. Et probatur, quia de his omnibus expressè loquitur Extrauag. *Ambitiosæ*.

Dixi, si Episcopi auctoritate sint erecti; quia Hospitalia, Collegia, Confraternitates, alique pii loci, qui sine Episcopi auctoritate sunt erecti, quamvis opera pia sint, non gaudent hoc privilegio, sed possunt ipsorum bona ultra triennium sine solennitatibus à iure requisitis locari, & alienari. Sic Gamma de iur. ult. num. 9. Mascard. de probat. concl. 809. n. 11. Tusch. lit. H. concl. 163. n. 9. & segg. Barbosa de potest. Episcop. part. 3. alleg. 75. num. 32. & 35. & alij, quos referebam cap. 29. dub. 20. quamvis aliqui contrarium sentiant; quæ de re vide cit. dub. 20.

DVBITATIO X.

An etiam extendatur ad fructus, quorum Beneficiarius dominium habet?

SUMMARIVM.

1. *Beneficiarius potest fructus sui beneficii ad longum tempus, v. g. pro sua vita locare, & alienare.*
2. *In Extrauaganti Ambitiosæ prohibentur ultra triennium locari, & alienari omnia bona Ecclesiastica immobilia, & mobilia, quæ seruando seruari possunt, si illa sint bona, & fructus, qui spectent ad Ecclesiam. Secus est si sint bona, & fructus, qui spectent ad beneficiatum.*
3. *Respectus ne beneficiarius fame pereat, & sic ne Ecclesia defraudetur debito obsequio, est sufficiens congruentia ad prohibendum, ne locet ultra triennium fructus beneficii, sed non constat de prohibitione aliqua in esse.*
4. *Assignatur multiplex differentia inter fructus ad Ecclesiam pertinentes, & ad beneficiarium spectantes.*

Responderetur negatiue, adeò vt beneficiarius possit illos ad longum tempus, v. g. pro sua vita, locare, & alienare. Sic dicebam, & probabam supra cap. precedenti, dub. 24. & docent Abb. in cap. 2. de his, quæ sunt à Prælati, & in cap. veniens, de transact. num. 1. Couar. 2. var. cap. 16. num. 6. ad fin. Gregor. Lopez l. 9. verb. arrender, tit. 7. part. 1. Mantica de iur. & ambig. conuent. tr. 1. lib. 5. tit. 3. num. 21. Mol. de iust. lib. 1. tract. 2. disp. 466. alter Molin. lib. 1. de primog. cap. 2. num. 27. Valquez in opusc. de redditib. cap. 2. §. 2. num. 31. & segg. Less. lib. 2. de iust. & iur. cap. 24. dub. 11.

dub. 11. num. 7. Azor. 2. p. lib. 9. cap. 2. quest. 7. Cenedus ad decret. collect. 76. num. 3. & collect. 102. num. 3. Redoanus q. 6. §. ult. num. 4. Zerola in praxi, verb. Alienatio, §. 3. concl. 10. Scortia theor. 115. Sopranus apud Filliucium tract. 44. cap. 4. quest. 1. & alij quos referebam cit. cap. precedenti, dub. 24. Quamvis contrarium sentiant Armilla verb. locatio, num. 5. Rodriguez 1. p. cap. 18. num. 5. Sà verb. Conductio, num. 13. Riccius decis. 114. num. 3. Boërius decis. 224. num. 2. Gutierrez lib. 1. canon. 99. cap. 88. num. 14. Gamma decis. 390. num. 6. & decis. 156. num. 2. Barbosa de potest. Episcop. part. 3. alleg. 95. num. 20. & Bonacina de contrahib. feudis, quest. 8. punct. 4. num. 32. sed quod dixi, est multo probabilius ob rationes in cit. dub. 24. adductas. Vide ibi.

Obiicies. In Extrauag. Ambitiosa, prohibentur ultra triennium locari, vel alienari omnia bona Ecclesiastica immobilia, & mobilia pretiosa, quæ seruando seruari possunt: ergo & prohibentur etiam fructus beneficiorum ad beneficiarios ipsos spectantes. Consequentia probatur, quia & tales fructus etiam bona Ecclesiastica dicuntur. Accedit, quod in dicta Extrauag. excipiuntur tantum fructus, & bona, quæ seruando seruari non possunt, sed tales non sunt fructus beneficiorum nondum collecti, cum hi dici non possint, quod seruari non possint: ergo non comprehenduntur sub exceptione facta.

Respondetur, distinguo antecedens: prohibentur ultra triennium locari, & alienari omnia bona Ecclesiastica immobilia, & mobilia, quæ seruando seruari possunt, si illa sint bona, & fructus, qui spectent ad Ecclesiam, concedo: si sint bona, & fructus, qui spectent ad beneficiatum, nego; quia citata Extrauag. Ambitiosa, loquitur solum de iis, quæ sunt generis prioris, non item de iis quæ sunt generis posterioris. Quod inde probatur, quia decisio omnis legis desumitur ex proœmio, cum generale sit legi ex rubrica, sub qua ponitur, interpretationem accipere. Gloss. in l. 1. verb. Prætoris, Cod. ne liceat tertio prouocare, & ibid. Bald. & alij communiter Doctores, & diffusius Alex. l. 1. ff. si certum petatur, num. 3. At in proœmio certum est, quod Extrauagans tantum de bonis, & fructibus Ecclesiæ loquatur, ibi: Immobilia, & mobilia pretiosa Deo dicata, ex quibus Ecclesia reguntur, & ministri alimoniam vendicant. Ergo, &c. Neque obstat, quod subdatur postea generalis prohibitio omnium rerum, & bonorum Ecclesiasticorum, quia illa generalis prohibitio debet intelligi, sicuti dicebam, iuxta proœmium Constitutionis, quæ est solum de rebus Deo dicatis, præterquam quod solum bona & fructus Ecclesiæ antonomastice res, & bona Ecclesiastica dicuntur.

Obiicies secundò, si beneficiarius posset fructus beneficij ad seipsum pertinentes ad longum tempus, pecunia anticipata, locare, & alienare, fieri posset, quod successu temporis debitis alimentis careret, & ob id Ecclesiam debito seruitio priuaret: ergo ne tale inconueniens sequatur, dicendum est, quod non possit illos ad longum tempus locare, & alienare, præsertim quia dicti fructus destinati sunt ad sustentationem beneficiati, cap. de prabendis.

Respondetur, congruentiam istam sufficientem esse, ut statuatur lex prohibens alienationem fructuum beneficiorum ad longum tempus, pecunia anticipata fieri. At dum talis lex condita, & promulgata non fuerit, poterit beneficiarius ad libitum, durante vita locare, & alienare.


Vnde sequitur, discrimen esse inter fructus ad Ecclesiam pertinentes, quorum beneficiarius solum administrationem habet, & inter fructus ad beneficium spectantes, quorum beneficiarius dominium obinet; quia illi non possunt ultra triennium, hi verò

possunt ad longum tempus, quin vita durante locari. Item secundò, quod si illi per triennium locentur, firma remanet locatio, tametsi locans moriatur, vel beneficium relinquat, quia illam locationem fecit nomine Ecclesiæ, quæ non cessat: at locatio istorum cessat cessante beneficiario locante, quia nomine proprio, & de iure proprio fecit; quod nomen, & ius cessat beneficiario cessante: cum non potuerit in conductorem ius aliud transferre, quam quod ipse habebat. Item tertio, quod successor beneficiarius stare debet locationi priorum ad prædecessore factæ, si facta fuerit per tempus à lege permillum: at stare non debet locationi posteriorum factæ, nisi fundi sint sati, & fructus pendentes, ac de proximo colligendi. Vide Couar. 2. var. cap. 15. num. 6. Molin. cit. disp. 466. alterum Mol. de primogen. lib. 1. cap. 21. num. 27. Bonac. de contrah. locat. & conduct. q. 7. punct. ult. & Barbosam in remiss. Concilij, sess. 25. cap. 11. de reformat. Vide etiam quæ dicebantur cap. precedenti, dub. 24.



CAPVT XIX.

De clausura Monialium, & prohibito ingressu intra Clausura Monasteriorum, tam mulierum, quam virorum.



DVBITATIO I.

An, & qualiter clausura Monialium præcipiatur obseruari?

S V M M A R I V M.

1. Clausura Monialium stricte obseruatur, neque earum quolibet extra clausura Monasterij cessante legitima causa, & licentia Ordinarij ad breue tempus egredi potest.
2. Constitutio Ecclesiastica introducens clausuram Monialium, in aliquibus locis recepta non fuit, qua de causa stricte obseruari præcipitur.



RESPONDETUR, clausuram Monialium quæ Religionem quancunque professa sunt, stricte obseruari (ita ut nulla earum extra clausura Monasterij sui egrediatur, quocumque prætextu, etiam ad breue tempus, nisi ob legitimam causam ab Ordinario licentia obtenta fuerit) præcipitur à Bonifacio VIII. cap. periculoso, de statu Regul. in 6. Item quia Constitutio hæc in aliquibus locis recepta non fuerat, & in alijs in desertudinem abierat, rigorose obseruari præcipitur à Tridentino Concilio sess. 25. de Regular. cap. 5. & 22. non obstantibus quibuscunque statutis, & priuilegijs quacumque firmitate munitis, & quibuscumque præscriptionibus, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus. Item à Pio V. in motu proprio, qui incipit: Decoris, & honestati, & altero qui incipit: Circa Pastoralis officij, ubi innouatur, & districte obseruari præcipitur prædicta Bonifacij VIII. Constitutio, ac decretum Tridentini. Item tandem à Gregorio XIII. in Motu proprio, cuius initium: Deo sacris Virginitatibus.

DVBITA